

nondum erat plena; obrui testium numero, non veritate: neminem ex illis octoginta esse testem oculatum, testibus vero ex auditu neminem convinci posse; porro omnes illos crimen illud fornicationis habuisse ex ore alicujus vetulæ, sibi ante aliquot menses a servitiis, sed jam ob furtum dimissæ. Obstupuit hæc audiens episcopus, recognoscit processum, nec videt in illo vel unum oculatum testem, imo nec auritum, sed singulorum testimonia sine expressione istius necessariæ circumstantiæ. Mittitur proinde, qui rusticos secundo examinet; illi suæ depositioni constant, fornicationem a sacerdote commissam asserunt: at rogati, unde scirent? an viderint actum, vel indicia? linguam illius vetulæ furis allegant, et forte alios, qui adjuverunt a vetula. Unde episcopus revocat sententiam, parochum innocentem declarat, atque ob illam, ut putabat, injuriam, veniam rogat, in vetulam tamen animadvertit. Vide, quam parum probent testes ex auditu.

364. *Regula prædicta fallit in pluribus casibus. Testimonium de auditu proprio quoad res auditu perceptibiles valet.* — Resp. I. Nihilominus data, seu quod testes de auditu alieno non admittantur, neque probent, fallit in certis casibus. Ita auctores proxime citandi, et communis. Notanter tamen additur, « de auditu alieno: » quia, quoad valeat testimonium de auditu proprio quod res auditu perceptibiles, puta, si quis testificetur, se fuisse presentem, et audivisse, quando Titius blasphemavit, vel quid promisit, etc. indubium est; atque liquet ex cap. 1. de Consuetud. ibi: « Sub testimonio videntium, et audientium. » Nam audiens verba alterius loquentis, atque de istis testimonium ferens, revera testificatur de iis, quæ proprio sensu corporeo percepit; sicque testimonium tale est legitimum, riteque probat. Verum loquendo de teste ex auditu alieno, seu deponente quod ita audierit ab aliis dici, posset dubitari, an aliquando probet: et conclusio est affirmativa. Siquidem:

365. *Testes etiam de auditu alieno probant in factis antiquis.* — Fallit primo data regula, et probant testes ex auditu alieno in factis antiquis. Speculator titul. de Teste. § 1. n. 34. Abbas c. Licet ex quadam. n. 3. h. t. ubi dispositionem illius capituli, expresse loquentis de probanda consanguinitate, seu affinitate, ob paritatem rationis procedere ait in aliis factis antiquis, de quibus testes haberi

non possunt. Card. Tuschus litt. T. congl. 480. n. 26. Menochius de Arbitrar. judic. lib. II, cas. 478. n. 9 et 10. et aff. Atque istud, præter jam allegatum c. Licet ex quadam. 47. h. t. desumitur ex l. Si arbiter. ff. de Probat. et l. In Summa. 2. § antepenult. ff. de Aqua pluv. ascend. ubi a l. probandum quod operis facti memoria extet, admittitur probatio de auditu auditus. Hinc doctores fore in ore habent, quod in antiquis propter difficultatem probationis sufficiant leviores probationes, l. 1. ff. de Probatione. et c. Cum causam. 13. eod. cum similibus. Amon Cravetta. t. XVII. Tractatum. tract. de Antiquitate temporum. § 1. n. 1. et § Ampliatur. et § Viso de verbis. ac seqq.

366. *Antiquum, et tempus antiquum, quod dicatur? Referuntur varie circa hoc doctorum sententiae.* — Caterum quodnam tempus dicatur antiquum in materia probationum, variant doctores, ubi videre est apud Menochium lib. II. de Arbitrar. judic. cas. 3. n. 1. et seqq. ubi refert septem diversas sententias. Et quidem, ut aliquid dicatur « antiquum, » requiri tempus centum annorum, sicque « tempus » centum annorum censi « antiquum: » tradit Abbas c. Licet ex quadam. n. 3. h. t. id desumens ex l. ult. C. de Sacrosanct. Eccles. Innocentius c. Veniens de Verb. Alexander consil. 6. n. 7. lib. I; Farinacius de Testib. qu. 69. n. 226. Jason in repet. l. Admonendi, n. 245 et 246. allegans alios, et communem; quam sententiam etiam appellat communem Cravetta cit. tract. de Antiquitate temp. § 1. n. 4. et 5. cum aliis. Atque huic sententiæ novissime favet Card. de Luca de Jurepatronat. discours. 57. n. 32 et 33. quamvis addat, centenarium istud tempus non esse intelligendum præcise, sed moraliter ac proinde quoad fidem scripturarum, et alios effectus ex antiquitate resultantes, sufficere tempus supra nonaginta annos, etsi sint infra centum: quoniam adhuc adimpletur idem finis, seu verificatur eadem ratio defectus memoriæ hominum. Ab hac opinione non multum distat Decius consil. 495. n. 7. asserens, tempus antiquum esse nonaginta annorum.

Alii contra volunt tempus antiquum in materia probationum esse tempus triginta, vel saltem quadraginta annorum: quidam vero crediderunt, tempus septuaginta annorum esse antiquum, prout videre est apud Menochium cit. cas. 3. n. 3. et seqq. Media via ingreditur Rota apud Rubicum decis. 424. et

Seraphinum, decis. 75. et alia Rota apud Merlinum decis. 489. dicens, tempus antiquum dici tempus sexaginta annorum. Nec immerito; nam tale tempus subductis pueritiæ annis, utpote quibus minus perfecte res gestas percipere solemus, communiter memoriæ hominum excedit, juxta illud Davidicam. Psalm. LXXXIX, 10. Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni. Ultima, et cæteris probabilior sententia asserit, quale tempus dicatur antiquum, judicis arbitrio esse relinquendum, qui ex subjecta materia istud determinabit. Ita Alexander consil. 487. n. 4. lib. II. post Glossam fin. Clem. 1. de Rebus Eccl. non alienand. istud probans ex l. 1. ff. de Jure deliberand. Menochius cit. cas. 3. n. 2. allegans plures alios. Nam sufficere tempus decem annorum, quando agitur de modico et levi præjudicio, inquit Carol. Molinæus in Consuetud. Paris. tit. 1. § 5. n. 65. quem refert idem Menochius n. 5. et Cravetta loc. cit. § 1. n. 6. post Decium putat, tempus quadraginta annorum sufficere ad plenam probationem, ubi non agitur de gravi præjudicio: hoc est, quando præjudicium est quidem alicujus considerationis (in modicis etiam etiam admittitur probatio alias imperfecta) non tamen præjudicium illud est multum grave; quod totum (inquit) in arbitrio judicis videtur positum. Porro in causis magni, vel gravissimi præjudicii, locum habeant aut opinio Rota sexaginta annos requirentis, aut severior opinio requirens centum annos, non quidem physice, sed moraliter computandos, juxta sententiam Cardinalis de Luca jam relatam.

367. *Testis de auditu alieno probat contra producentem.* — Fallit secundo dicta regula, testis de auditu alieno probat contra producentem. Card. Tuschus cit. litt. T. concl. 180. n. 88. post Romanum, consil. 290. dicentem, quod is jungatur cum teste partis adversæ deponente de visu, Farinacius qu. 69. n. 57. allegans alios: et concordant in simili dicta superius n. 335.

368. *Et quando agitur ad defensionem rei. Ac in aliis causis, in quibus modica scientia fidem facit.* — Fallit tertio, quando agitur ad defensionem rei: quia enim tunc admittuntur testes de credulitate, ut dictum n. 333. ergo pariter admittendi sunt testes ex auditu qui audierunt ab aliis fide dignis, ac reddentibus causam sui dicti; puta, quod fuerint presentes, et viderint, istum esse innocentem. Idemque dicendum in aliis causis, in

quibus modica scientia fidem facit: ut est causa denuntiationis. Glossa can. Hoc videtur. 12. qu. 5. Indicavit; Farinacius de Testib. qu. 69. n. 54. et 56.

369. *Atque in illis, quæ sunt difficilis probationis.* — Fallit quarto in illis, quæ sunt difficilis probationis: quia in talibus etiam admittitur testimonium de auditu. Farinacius cit. qu. 69. n. 48. et seqq. allegans alios, ut accidit in dilectis occultis; Hostiensis c. Præterea. n. 4. et Joan. Andreas ibid. n. 10. h. t. Saltem, quando alia adminicula concurrunt; prout innuit textus in d. c. Præterea. et notat Farinacius loc. cit. n. 52.

370. *Testes de auditu alieno faciunt præsumptionem.* — Quinto, licet testes de auditu non probent plene, nihilominus faciunt præsumptionem. Archidiaconus can. Hoc videtur. 22. cas. q. 5. n. 3; Felinus c. Tam Litteris. n. 3. h. t.; Menochius de Arbitrar. judic. lib. II. cas. 475. n. 5; Card. Tuschus cit. concl. 180. n. 74. cum aliis. Qui addunt dictam præsumptionem istud operari, ut onus probandi transeat in adversarium: quamvis hoc ultimam non pauci negent, quos allegat Card. Tuschus cit. ibid. n. 76.

371. *Imo accedentibus aliis adminiculis etiam plenam probationem.* — Quod si vero dictæ præsumptioni accesserint alia adminicula, judicis arbitrio adjudicanda, tunc inde etiam plena probatio resultabit, Arg. cit. c. Præterea. n. 27. juncta Glossa §. De auditu. et doctoribus ibid. h. t.; Menochius cit. cas. 475. n. 9; Card. Tuschus, ubi supra, n. 78; Farinacius cit. quæst. 69. n. 44. et seqq. apud quem nonnullæ aliæ fallentiæ videri poterunt.

372. *Proxime dicta procedunt, quando illi, a quibus testis audivit, jam sunt mortui, vel saltem longe absentes: alias secus.* — Solum pro meliori præmissorum intelligentia advertendum cum Menochio cit. cas. 475. n. 6. allegante pro se Cravettam consil. 277. col. 3. et in tract. de Antiq. temp. in ultima partit. primæ part. n. 7. proxime dicta procedere, quando illi, a quibus testis audivit, jam sunt mortui, vel saltem longe absunt: secus, si in humanis, et presentes existerent. Nam tunc nullam præsumptionem facerent: quia potius exsurgit suspicio quædam adversus illum, qui producit solummodo testes ejusmodi de auditu alieno, cum tamen producere posset illosmetipsos, qui id antea dixerant.

373. *Consanguinitas, et affinitas, etiam contra valorem matrimonii, olim probatur per*

testes ex auditu alieno. — Quæritur IV. Utrum, et quando in probatione consanguinitatis, vel affinitatis, admittantur testes de auditu alieno? Resp. I. Quia antiquitus consanguinitas, et affinitas, usque ad septimum gradum dirimebat matrimonium; simulque ob brevitatem vitæ humanæ difficile fuerat scire, sive proprio sensu percipere, quousque consanguinitas se extenderet: hinc olim necessitate sic urgente, in causis matrimonialibus, ac etiam contra valorem matrimonii jam contracti, admittebatur probatio consanguinitatis per testes ex auditu alieno; ut can. *de Parentela*. 35. quæst. 5. juncto c. *Licet ex quadam*. 47. § 1. h. t.

374. *Hodie tamen istud nonnihil est correctum; et cur? Ut de facto possint recipi testes de auditu alieno super causis matrimonialibus, requiruntur duodecim conditiones.* — Quia tamen experientia teste, exinde multa pericula contra legitima provenerunt matrimonia; prout observavit Concilium generale (seu Lateranense, sub Innocentio III, celebratum) a quo editum fuit cit. c. *Licet ex quadam*; simulque hodie impedimentum consanguinitatis non amplius extenditur ad septimum gradum, sed duntaxat ad quartum; hinc antiqui canones quoad hoc nonnihil sunt correcti, nec valet testimonium de auditu auditus ad probandam consanguinitatem, nisi observatis illis conditionibus, quas ponit idem Concilium generale ibidem relatum; et juxta Joan. Andream, Abbatem, et Summarium in d. c. *Licet ex quadam* h. t. ac Farinacium de Testib. quæst. 69. n. 105. et seqq. sunt duodecim. Unde:

375. I. *Ut testes illi sint personæ graves.* — Resp. I. Prima conditio requisita ad hoc, ut de cætero possint recipi testes de auditu alieno super causis matrimonialibus, est illa; videlicet, quod testes ita deposituri, « personæ graves existant, quibus fides sit merito adhibenda, » prout loquitur concilium generale loc. cit. Gravitas autem personæ desumitur ex gravitate morum, bonæque famæ et opinionis, sic ut censeatur fide digna. Glossa ibid. §. *Persona*. et Hostiensis §. *Gravis*.

376. II. *Et ante litem motam testificata didicerint.* — II. Testes illi debent deponere de his, quæ audierunt ante litem motam; juxta illud, quo in cit. c. *Licet ex quadam*. h. t. subjungitur: « Et ante litem motam testificata didicerint, » etc. Unde si deponerent de illis, quæ primum audierunt post litem mo-

tam, nullam fidem facerent, licet intervenirent omnes cæteræ conditiones, quæ ibi requiruntur: quia si vel una earum deficiat, tunc testes nullam penitus fidem faciunt. Mascardus de *Probat.* concl. 410. n. 7. et 8. post Hostiensem, et Innocentium in cit. c. *Licet ex quadam*, ubi et Barbosa in *collektan.* n. 2. h. t. citans arios.

377. III. *Et quidem ab antiquioribus suis.* — III. Quod testes audierint, seu « testificata didicerint ab antiquioribus suis. » Antiquioribus enim magna fides adhibetur, ut inquit Barbosa ibid. n. 4. post Tiraquellum de *Jure primogenituræ*, in præfat. n. 148 et seqq.

378. IV. *Nec ab uno tantum, sed pluribus.* — IV. Quod audierint non ab uno tantum: quia, sicut ille solus non sufficeret ad faciendam plenam fidem, etiamsi de scientia deponeret; ita nec sufficiunt plures testes de auditu, qui ab uno solo audierunt, seu gradus consanguinitatis didicerunt: ne plus credatur copiæ, quam originali, ut loquitur Card. Tuschus litt. T. concl. 180. n. 22. Unde subjungit ibidem concilium generale: « Non utique ab uno, cum non sufficeret ille, si viveret; sed duobus ad minus. » Ubi Glossa §. *Ab uno*, amplius hoc confirmat ex eo: quia omnes illi, qui causam habent ab uno, pro uno solo reputantur, arg. can. *Cito*. 4. qu. 1. et 1. *Cui fundus*. ff. de *Cond. et demonstrat.*

379. V. *Et quidem non infamibus et suspectis, sed fide dignis.* — V. Ut testes illi de auditu deponentes, non audierint gradus consanguinitatis « ab infamibus et suspectis, sed a fide dignis, et omni exceptione majoribus: cum satis videretur absurdum illos admittere quorum repellerentur actores: » prout loquitur concilium generale loc. cit. Nam sis, qui audivit aliquid ab alio, non potest superare fidem illius, a quo audivit, et cujus verba refert.

380. VI. *Atque deponant cum proprio juramento.* — VI. Testes ejusmodi debent deponere cum proprio juramento: alias non probant, juxta textum ibidem, ubi dicitur: « Testes proprio juramento firment, » etc. Et infra: *Nec tales sufficiant, nisi jurati deponant, »* etc. Ubi ponderando ly, « proprio juramento, » videtur pro forma, et ad terrorem aliorum, requiri proprium juramentum: adeo, ut non sufficiat jurare per procuratorem habentem speciale mandatum; prout docet Abbas ibid. n. 6. asserens ita tenere omnes doctores.

381. VII. *Et ad ferendum testimonium odio*

amore, etc., non procedant. VIII. *Testesque illi debent personas expressis nominibus, vel circumlocutione sufficienti exprimere.* IX. *Et ab utroque latere singulos gradus clare distinguere.* — VII. Ut testes illi « ad ferendum testimonium in causa ipsa odio, amore, timore, vel commodo non procedant. » Ita textus ibidem. VIII. Testes illi debent « personas expressis nominibus vel demonstratione, circumlocutione sufficienti designare. » IX. Ac etiam « ab utroque latere singulos gradus clara computatione distinguere; » ut loquitur textus ibid. Ubi tamen Glossa §. *Gradus*. et Barbosa n. 6. et Farinacius qu. 69. n. 417. istud intelligunt, dempto stipite: quia de isto non reperitur canon, sed tantum de lateribus; ac proinde sufficit incipere a fratribus, arg. c. *Tua nos*. 7. juncta Glossa §. *Vel germanis*. de *Consanguinit. et affinit.*

382. X. *Et in suo juramento concludere, se accepisse a majoribus quod deponunt.* XI. *Et se credere, ita esse.* — X. Debent testes illi « in suo nihilominus juramento concludere, se accepisse a suis majoribus, quod deponunt. » XI. Addenda simul, « se credere ita esse: » prout loquitur concilium generale. ibid.

383. XII. *Ac se vidisse, personas pro consanguineis se habere.* — XII. « Sed nec tales testes sufficiant, nisi jurati deponant, se vidisse personas, vel saltem in uno prædictorum graduum constitutas, pro consanguineis se habere. » Ita statuit concilium generale loc. cit. addita illa ratione: « Tolerabilius est enim, aliquos contra statuta hominum relinquere copulatos, quam conjunctos legitime, contra statuta Domini separare. » Nam in constitutionibus suis potest Ecclesia, sive Romanus pontifex, conditor canonum dispensare: non item in lege divina, posita de indissolubilitate matrimonii legitime contracti.

§ XII.

DE FAMA, ET QUALITER PROBETUR, AC PROBET?

384. *Fama vi nominis, et fama ut sic, quid?* — Viso de testibus ex auditu alieno, operæ pretium esse videtur etiam de fama tractare, utpote quæ ex auditu sumit originem. Fama siquidem a *fando*, sive loquendo sic dicta, vi nominis dicitur, quidquid de aliquo divulgatur, sive in bonam, sive in malam partem; ut inquit Calepinus in *Dictionario*. §. *Fama*. Unde Bartolus l. *De minore*. § *Plurimum*. n. 8.

de *Quæstion.* famam ut sic definiens, inquit: Fama est communis opinio voce manifestata, ex suspitione proveniens. Et hæc grosso modo dicitur, « Vox populi: » de qua loquendo.

385. *Fama in bonam partem accepta, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit fama, et quomodo differat a rumore? Resp. I. Fama in bonam partem accepta, est illæ sæ dignitatis status, moribus, et legibus comprobatus, ita textus in l. *Cognitionum*. ff. de *Variis et extrao. d. cogn.* ubi dicitur: « Existimatio est dignitatis illæ sæ status, legibus et moribus comprobatus, quæ ex delicto nostro auctoritate legum aut minuitur, aut consumitur. » Nam existimatio idem est, ac fama et opinio, ut inquit Glossa ibid. §. *Existimatio*.

386. *Proprie loquendo fama non dicitur nisi bona sit. Fama mala appellatur infamia.* — Et proprie loquendo, fama non dicitur, nisi bona sit: quia fama est argumentum virtutis, ut inquit Baldus c. *In Genesi*. n. 66. de *Election.* De qua loquitur S. Augustinus can. *Nolo*. 12. q. 1. relatus his verbis: « Duæ sunt res, conscientia et fama: conscientia necessaria est tibi, fama proximo: qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est. » Similia habentur can. *Non sunt*. 11. q. 3. Econtra vero fama in malam partem accepta, speciali nomine appellatur infamia, id est, famæ privatio; prout notat Glossa loc. cit. estque jam dictum supra, § 2. n. 29.

387 et 388. *Fama ut sic dividitur, in famam hominis, et famam inter homines; et quid?* — Resp. II. Fama ut sic dicitur et in famam homines. Ita Fagnanus c. *Vestra*, n. 27 de *Cohabit. cleric.* Bartolus in l. *De minore*. § *Plurimum*. ff. de *Quæstion.* Mascardus de *Probat.* concl. 749, n. 1. et alii. Fama hominis, seu (ut alii loquuntur) fama de homine est ea, de qua proxime dictum est, cuique convenit data definitio.

« Fama inter homines » sic dicitur respectu eorum inter quos viget, seu circumfertur: nec aliud est, ac publica seu communis insinuatio, vel proclamatio ex sola suspitione et certo auctore proveniens. Ita Ant. Nebricensis in *Vocabulario juris*. §. *Fama*. Fagnanus loc. cit. n. 38. et alii.

389. *Fama an certo auctore provenire debeat?* — Etsi enim Speculator tit. de *Notoriis criminibus*. § *Fama est*, asserat, quod fama quandoque procedit ex scientia, quandoque ex suspitione, quandoque ex certo, et quan-